





1. Huber f. Joh. f. Diss. de fine ac quem  
homo conditur, Wittenb. 1593

2. ————— diss. de conjugio et  
Divertio, Wittenb. 1593.

3. Häfemann f. Joh. f. Instructio Stu-  
diosorum, quid dephrasi: bona  
opera sunt necessaria ad vitam  
eternam, statuere habent  
Lipsie 1616.

4. ————— repetitio Articuli  
IV libri concordis, Lipsie  
1649

Zq  
39

Propositiones  
**C O M P L E C T E N T E S**  
**S V M M A M D O C T R I N A E D E**  
Sacramentis Novi Testamenti, hoc tempore  
DEI beneficio in Ecclesia & Academia  
VVitebergensi sonantis.

D E Q u I B u S  
*Confessionem suam edituri sunt 10. Au-  
gusti, Anno 1593.*

P R A E S I D E  
**P O L Y C A R P O L Y S E R O D.**

*Reverendi & Clarissimi Viri,*  
Dn. SAM uEL H u B E R u S, Bernas,  
Helvetius.  
M. SALOMON G E S N E R u S, Bo-  
leslaviensis, Silesius.  
M. V I T u S V V O L F R u M, Hilperhi-  
anus, Francus.  
M. LA U R E N T I u S - D R A B I T I u S  
Coldicenlis, Misnicus.

*Pro consequendo gradu Doctoratus  
in Theologia.*

VITEBERGÆ  
Typis Zachariæ Lehmanni.

Histories

COMPAGETENIES

SUMMA DEDICATIONE

BY JAMES GARDINER BOSTON

PRINTED FOR THE AUTHOR

AT THE SIGN OF THE

CROWN IN CORNhill LONDON

1723.

1723.

1723.

POLITICAL ESSAYS

BY RICHARD CAMPDEN

DY SAMUEL HARRADEN

PRINTED

M. SALOMON CESENUS

1723.

M. ALEXANDER AVOTRUMUS

1723.

M. PAPALIUS DRARITUS

1723.

1723.

1723.

1723.

1723.

1723.

1723.

1723.

1723.

1723.

**E**rt animus, quod de paucis & bre-  
vibus thesibus summam doctrinæ  
de Sacramentis in hac florentissi-  
ma Saxonia Academia & Ecclesia sonan-  
tis complecti, & ad disputationem, veritas  
tis confirmanda causa, proponere. Faxit  
Deus, ut quemadmodum hoc ad amplifi-  
candum honorem nominis & adificationem  
Ecclesiae ipsius, instituimus: ita etiam fi-  
nem propositum in ipso consequamur.

Sequentes theses, Clarissimus vir, Dn.

S A M V E L H V B E R V S

defendet.

## DE SACRAMENTIS NOVI Testamenti in genere.

### I.

**S**uper Deus, inde usq; ab initio con-  
ditæ & redemptæ Ecclesiæ, ita se patefecit: ut  
verbo sua voce expresso, certa signa & Testi-  
monia, quasi sigilla quædam, adderet.

### II.

Sic statim post lapsum Adæ edita promissione gratiæ, ad-  
ditæ illi sunt ceremoniæ, nimirum sacrificia, quæ Deo offere-  
bantur, & flammam cœlitus delapsa incendebantur. Figuram ea  
& typum præ se ferebant passionis & mortis venturæ hostiæ, de-

A ij qua

qua promissio facta erat: & simul testimonium erant reconciliationis in illâ ipsâ hostiâ factæ.

III.

Postea cum sub Abrahamo promissio renovaretur, eidem novum testimonium additum fuit: nimicum Circumcisio.

IV.

Inde iterum sub Mose, instaurata Iudee doctrinæ, accessit inactatio agni paschalidis, & aliæ ceremoniæ.

V.

Ita in Ecclesia Novi Testamenti Evangelio additi sunt ritus quidam sacri, qui non sunt humana spectacula, ut Græcorum dramata: Sed sunt testimonia divinæ gratiæ & sigilla justitiae fidei, ut Apostolus loquitur. Rom: 4. v. 11.

VI.

Magni ergò sunt faciendi hi ritus, quos Deus ipse addidit verbo suo: non tantum quia magnus est ille, qui eos instituit, sed & quia magna ad nos beneficia per ea dimanant. Et sunt ijdem longissimè secernendi ab illis sacrâ, quæ ex καιρογλία & superstitione prava, sive à gentilibus, sive ab Ecclesiâ falsâ sunt instituta.

VII.

Nos ritus illos usitato nunc & omnibus cognito vocabulo Sacmenta dicimus. Quæ tamen vox non ex scriptura, Sed ex Ecclesiastica loquendi consuetudine sumta est. Et quia diligentia digna est piè eruditis, cum Ecclesia loqui: ideo de vocabulo, licet sit ἄρταφος, cum nemine litigandum, sed opera danda, ut doctrina rerum, quæ in scriptura tradita est & hoc vocabulo intelligitur, dextrè explicetur.

VIII.

Hac autem occasione hac vox (qua veteres latini scriptores longè aliter usi sunt) in Ecclesiam introducta videtur, quod vetus Bibliorum interpres feré, ubi græca vox μυστήριον extat, eam voce Sacmenti reddidit. Cumq; Ethnici peculiares illos ritus,

ritus, quibus suos ad idololatricas religiones initiantur, appellatione tum trita μονήρια vocare solerent: Latini quoque Scriptores utrumque vocabulum, & mysterij & Sacramenti, in hoc usu in sermonem Ecclesiasticum transulerunt, jureque suae ciuitatis donarunt.

IX.

Definitiones Sacramentorum in genere variæ traduntur, quarum plerique sunt generaliores, ita ut quamplurimis rebus accommodari possint, unde & rixæ inutiles in Ecclesia sunt extorta. Rectissime itaque fecerit, qui definitionem Sacramentorum generalem constituturus observet, quænam sint Sacramentorum proprietates, quibus postea in unum collectis, facile fuerit definitionem confidere.

X.

Ut igitur aliquid propriè Sacramentum dici possit, requiriatur 1. ut habeat externum aliquod materiale & visibile elementum seu signum, quod certo externo rito tractetur. 2. ut elementi illius tractatio habeat expressum mandatum divinum. 3. ut mandato divino sit addita promissio gratiæ, de fructu & effectu illius actionis. 4. ut promissio illa gratiæ non sit de quibusvis donis Dei, sive corporalibus, sive spiritualibus, sed de gratiâ justificationis, hoc est, de gratuita reconciliatione cum Deo, remissione peccatorum & aeterna salute. 5. Promissio illa in Sacramentis non tantum in genere annuncietur, sed etiam singulis verè offeratur, & quo ad Deum ac sacrosanctum hoc ipsius institutum efficaciter sine ullo ullius hominis respectu exhibeat: ita tamen ut is, qui salutariter ea uti fruatur velit, vera fide promissionem sibi applicet.

X I.

Hæc in Sacramentorum definitione potissimum spectanda sunt: Et talia sacramenta etiam populum veteris Testamenti habuisse, in primis autem Circumcisionem tale Sacramentum fuisse, ex sacris literis constat.

A. iii. Si quis

XII.

Si quis autem definitionem Sacramentorum noui Testamenti requirat, dicimus ea esse ritus divinitus institutos & a Christo additos doctrinæ in Evangelio traditæ, quibus promissio gratiæ & remissionis peccatorum per verbum & visibile externum Elementum, cuilibet tanquam per certum sigillum & pignus exhibetur, & si hac ordinatione & institutione Christi rectè utatur, eidem applicetur.

XIII.

Author Sacramentorum est ipse Deus, qui ea immedia-  
tè certo verbo sancivit & instituit. Neque enim ulli creaturæ  
concessum est, Ecclesiæ Dei ex suo arbitrio Sacramentum ob-  
trudere: neque etiam ulla creatura nos de gratia Dei, citra ex-  
pressum Dei verbum, certos reddere potest.

XIV.

Partes actionis sacramentalis duas esse substantiales fate-  
mur: Verbum nimirum & Elementum. Quarum si alterutra  
negligatur aut mutiletur, vel depravetur, nulla Sacramenti ra-  
tio esse potest. Sicut Augustinus dicit Hom. 30. Accedat ver-  
bum ad Elementum & sit Sacramentum. Detrahe verbum de  
Baptismo, & quid erit aqua, nisi aqua?

XV.

Verbum autem Sacramentale vocamus integrum institu-  
tionem & pronunciationem verborum institutionis, quæ con-  
tinet manifestam promissionem gratiæ, quod cuilibet in specie  
merita Christi seu remissio peccatorum certè exhibeantur, &  
tali ritu & ordinatione quasi sigillo & certitudinis tessera confi-  
mentur: simulque urget expressum mandatum, quod jubet, ut  
omnes homines vero ac legitimo usu divinæ institutioni obtem-  
perent.

XVI.

Elementum verò hoc loco nominamus rem externam ab  
ipso Christo in novo Testamento ordinatam, institutam, totiç  
Ecclesiæ

Ecclesiæ ad consummationem seculi usq; usurpandam demandatam, ad subserviendum mysterio, quod Sacramento proponitur & exhibetur.

### XVII.

Quod fidem nostram attinet, est ea quidem necessaria, si Sacramentis fructuose ad salutem vti velimus: sed per eam ipsi Sacramentorum substantiæ nihil accedit, nec per incredulitatem quicquam decedit. Cum enim Sacra menta sint Dei actiones, ipsius etiam solius verbo nituntur. Ita ut non fides nostra, sive administrantium, sive utentium, sed solum Dei verbum, ordinatio & institutio Sacramentum faciat.

### XVIII.

Quia tamen Sacra menta sine vero usu nihil nobis prosunt ad salutem: fines etiam tūm principales tūm subordinati considerandi sunt: & addenda est applicatio.

### XIX.

Uſus seu fines præcipui hi sunt. Ut pere ea gratia Dei offeratur, conferatur, confirmetur, obſignetur: ut item sint ſigilla iusticiæ fidei, vel testimonia gratiæ, quibus de gratuita peccatorum remiſſione, omnibusq; ad salutem benefijs fides noſtra confirmetur. Cūm enim nudo verbo diſſiculter mentes humanae aſſentiantur, verbo Sacra menta Deus addidit, quæ infirmitati hominum conſulant. Ut item ſingulis gratiæ promiſſionem quantum inſe applicent, ac ſint pignora quæ oſtendant ad ſingulos utentes sacramentis & credentes pertinere beneficia in Evangelio promiſſa. Nam vox Evangelij dum prædicatur generalis eſt: hanc ad ſingulos, qui sacramentis utuntur, pertinere, hic uſus oſtendit.

### XX.

Subordinati fines ſunt plurimi. Discernunt enim Ecclesiā Dei à ceteris gentibus: excitant pias mentes ad invocationem ardentiorem, ad gratiarum actionem pro immentis beneficijs.

neficiis, ad seriam Confessionem & similia exercitia pietatis  
prosunt ad conservationem publici ministerii: & de in utua be-  
nevolentia membrorum Ecclesiae mentes commonefaciunt.

X XI.

Applicatio autem beneficiorum in Sacramentis sit sola fide,  
cum in vera poenitentia petimus & accipimus remissionem  
peccatorum in Evangelio promissam, & his externis Sacramen-  
torum signis ac mediis oblatam & obsignatam.

X XII.

Congruit huic nostrae sententiæ decimus tertius Articu-  
lus Augustanae Confessionis, cujus verba hæc sunt: De usu Sa-  
cramentorum docent, quod Sacraenta instituta sint, non modo ut  
sint nota Professionis inter homines, sed magis ut sint signa &  
testimonia voluntatis Dei erga nos, ad existandam & confirmans  
dam fidem in his, qui utuntur, proposita. Itaq; utendum est Sa-  
cramentis ita, ut fides accedat, qua credat promissionibus, qua per  
Sacraenta exhibentur & ostenduntur.

Damnant igitur illos, qui docent, quod Sacraenta ex opere  
operato justificant, nec docent fidem requiri in usu Sacramentorum,  
qua credat remitti peccata.

X XIII.

Cum igitur ad substantiam Sacramenti in novo Testamen-  
to (ut dictum est) duo pertineant. 1. Expressum Dei manda-  
tum de externo & visibili aliquo Elemento ac praescripto ritu  
in Ecclesia administrando & usurpando. 2. Promissio Evan-  
gelij, de gratuita Dei misericordia propter Christum hujc ritui  
in verbo ita addita, ut per illum ea offeratur, exhibeatur, appli-  
ceatur & obsignetur singulis vera fide Sacramentis titentibus.  
Manifestum est propriè loquendo duo tantum esse in novo Tes-  
tamento talia Sacraenta: Baptismū scilicet & Cœnam Domini.  
Hæc enim suis constant & Elementis à Christo traditis, &  
promissione, qua cuilibet reæ utentij juxta verba ipsius Christi  
remissio

remissio peccatorum applicatur. In quo consentit nobis D.  
Augustinus lib: 1. de Catech. cap: 4. *Vnus ex militibus latu  
Christi aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua, quae sunt ma  
tris Ecclesiae gemina Sacra menta.*

XXIII.

Variè etiam de convenientia & differentia Sacramentos  
rum veteris & novi Testamenti disputatur. Et quidem Pon  
tificii plerique differentiam tam latam tradunt: quod sta  
tuunt, Deum per Sacra menta novi Testamenti gratiam con  
ferre: quod per Sacra menta veteris Testamenti non nisi me  
diantibus Sacramentis novi Testamenti fecerit: quia illa in onus  
& servitutem, non in iustificationem Deus imposuerit. Sacra  
mentarii verò planè diversum st: tuunt, & omnem differentiam  
ad eò tollunt, ut nos planè eadē esca & potu cum veteribus  
usos sentiant.

XXV.

Nos utrosque hallucinari affirmamus. Siquidem Sacra  
menta illa & paria esse & differre ex scriptura commonistrari po  
test. Paria sunt (ut August. loquitur tract. 26. in Ioan.) *in re*,  
quæ significatur: seu in eo, quod eundem habuerunt usum &  
finem. Nam eandem fidem, eundem Christum, & eandem  
salutem, quæ in novo Testamento per Sacra menta offertur &  
confertur, etiam per Sacra menta veteris Testamenti Deus po  
pulo suo obiulit, exhibuit, applicavit & obsignavit. Differunt  
autem, 1. Signis seu ritibus externis. 2. Quod Sacra menta  
veteris Testamenti fuerunt (ut idem August. loquitur in Ps. 73.)  
*Prænunciativa venturi Christi*: novi autem Testamenti *annun  
ciativa sunt exhibiti Christi*. 3. Gradu, quod Sacra menta  
novi Testamenti suam habent præstantiam & prærogativam  
præ Sacramentis veteris Testamenti. De quo August. de doct.  
Christ. lib. 3. cap. 9. inquit: *Pauca pro multis, eaq[ue] factu facilior  
ia, & intellectu augustissima, & observatione castissima, ipse*

*E Dominus*

**Dominus & Apostolica tradidit disciplina: sicuti est Baptismi Sacramentum. & celebratio corporis & sanguinis Domini. Et in Ptol. 73. Mutata sunt Sacraenta: facta sunt faciliora, salubriora, felicia.**

**XXVI.**

Sed Pontificii illud Scholasticorum dogma de differentia Sacramentorum utriusque Testamenti, etiam quoad fructum & usum, tantummodo propere urgunt, ut opinionem operis operati, quam unā nobiscum omnes veteris & N. T. sinceri doctores damnarunt, utcunq; stabilire & defendere possint.

**XXVII.**

Sacramentarii verò quoad convenientiam exorbitant in eum finem, si forsitan super eam, absentiam corporis & sanguinis Christi in sacra Domini Cœna, apud imperitos rerum exadficare possent. Quasi propere Christus substantia corporis sui in Cœna non adsit, quia etiam à Sacramentis veteris Testamenti (utpote qui tum nondum incarnatus erat) abfuerit. Quantò rectius Patres & ut Ambrosius, de his qui initiantur myst. cap. 9. Considera uter præstantior sit, panis angelorum, an vero Christi caro, que utiq; est corpus vita. Illis aqua & petra fluxit: ibi sanguis ē Christo. Et Chrysostomus in 5. cap. 2. ad Cor. Pro Manna habemus corpus Dominicum, pro aqua petra sanguinem ē latere.

**XXVIII.**

De vera autem convenientia & differentia Sacramentorum, verius, rectius & simplicius constitui & explicari non potest, quam si unumquodque Sacramentum ex sua institutione & ex promissione, quam ex divina voce annexam habet, judicetur. De qua non inépte usurpari potest quod in Decreto legitur. Per Sacraenta omnis justitia fidei vel incipit, vel incepit augetur, vel amissare reparatur. Sed de his alias prolixius.

**XXIX.**

**Nunc**

Nunc regulam illam Sacramentorum falsam esse dicimus; *Omnium Sacramentorum natura est ut signa pro rebus significatis accipiatur.* Verior est illa, si modò dextrè juxta explicationem in sanctissimo Concordiae libro Art. de Coena Domini pag. 715. accipiatur. *Nihil habet ratione Sacramenti extra usum Christo institutum seu extra actionem divinitus institutam.*

XXX,

Abominamur denique non tantum eos, qui sacrosancta Sacra menta blasphemant, aut iis in impiis suis execrationibus abutuntur: sed etiam qui eorum vini & efficaciam ita enervant, ut vel nuda saltem signa vel externas tantum commonefactio-nes, quod quis cum beneficiis Christi communionem aliquam habeat, ea esse volunt. Cum revera sint organa & media, per quae Deus gratiam & salutem offert, imò per per quae ipse operatur & efficax est.

II.

DE BAPTISMO.

Hæc Theses, Reverendus Vir Dr.  
SALOMON GESNERUS  
tuebitur.

I.

**B**aptismum, quem veteres primam ad Christi beneficia januam dixerunt, Sacramentum Novi Testamenti esse, nemo piorum in Ecclesia Christi unquam dubitavit. Eius definitionem vir Dei Lutherus in Catechismo hanc posuit, quam & nos probamus. *Baptismus non est simplex aqua, sed aqua divino mandato inclusa, & verbo Dei comprehensa.*

B ij Vberios

II.

Uherioris autem explicationis causa nos hanc addimus.  
Baptismus est actio ab ipso Christo instituta in novo Testamen-  
to, certo elemento, mandato ac promissione Evangelii, in qua  
vult omnes homines aquâ tingi, in nomine Patris, Filii, & Spi-  
ritus sancti: qui ritus testatur baptizatum ablui à peccato san-  
guine Iesu Christi, regenerari, applicari ei remissionem pecca-  
torum, donari eum Spiritu sancto, atq; recipi ad vitâ æternam.

III.

D. Petrus docet, Baptismum esse stipulationem bona-  
conscientiae erga Deum, per resurrectionem Iesu Christi, qui  
est ad dexteram Dei. 1. Pet. 3. v. 21. Nominatim ait esse stipu-  
lationem, qua Deus tecum fœdus facit, & te sanatis vulneribus  
conscientiae tuæ recipit: & tu vicissim cum Deo facis fœdus, ut  
hunc verum Deum invoces, & credas te per Iesum Christum ex-  
morte resuscitatum & in cœlis regnante, salvari.

III I.

Author Baptismi est ipse Christus, Dei & Mariæ filius,,  
humani generis Salvator. Matth. 28. v. 19. Euntes ergo μαγισ-  
τούς omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Fi-  
lli, & Spiritus sancti, & docentes eos servare omnia, quæ præ-  
cepi vobis. Mar. 16. v. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit,,  
salvus erit..

V.

Substantiales partes hujus Sacramenti sunt, I. Eleme-  
num aquæ, Ioan. 3. v. 5. Act. 10. v. 47. Eph. 5. v. 26. II. Ver-  
bum Dei, seu mandatum Christi de conferendo baptismo,  
Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 16. Hoc verbum mandati & pro-  
missionis Dei est vera consecratio seu sanctificatio, per quam  
baptismus fit fons salutis. Isa. 12. v. 3. aqua munda; Ezech. 36.  
v. 2. 5. imò aqua vita Ezech. 47. v. 8. Zach. 13. v. 1. & lavacrum  
regenerationis, Tit. 3. v. 5.

Formam

### VII.

Formam Baptismi expressit Dominus his verbis: **Baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Hæc verba, si rectè expendantur, summam doctrinæ Evangelii comprehendunt: ut sit sententia. Ego minister Evangelii, loco filii Dei, Pontificis nostri, baptizo te in nomine Dei, hoc est, mandato divino te abluo aqua, & invoco super te verum Deum, qui est æternus Deus, Domini nostri Iesu Christi, unà cum Spiritu sancto: & testificor te ab hoc vero Deo recipi in gratiam, & tibi peccata remitti propter Christum Mediatorem tuum, qui te in baptismō suo lavat sanguine.** Ac testor te donari ac obsignari Spiritu sancto, qui cor tuum sanctificat & regenerat ad novam justitiam & vitam: & scias te recipi ad nomen, id est, ad agnitionem & invocationem hujus veri Dei, ut omnia Idola & falsa numina, peccata quoque pugnantia cum lege Dei fugias: **hunc Deum discernas ab omnibus commentitiis Diis, & certò statuas tibi tribui beneficia, quæ hic verus Deus in Evangelio promisit: ac te esse membrum Ecclesiae Dei, quæ per Filiū redempta est, & à Spiritu sancto in hac vita sanctificatur, in altera vero in æternum glorificabitur.** Hæc tanta maiestas in paucis illis verbis latet.

### VIII.

Omnino ergo opera danda, ut de usu & fructu hujus Sacramenti magnificè sentiamus, quem Lutherus noster his verbis in Catechetica doctrina expressit. **Baptismus operatur condonationem peccatorum, liberat à morte & diabolo, & donat aeternam beatitudinem omnibus qui credunt hoc, quod verba & divina promissiones pollicentur.**

### VIII.

Quod ipsum tamen sic declarandum est, ut virtus illa & efficacia Baptismi, non tribuatur vel elemento aquæ, vel exteriori ministri actioni. Sed quia Baptismus est talis actio, in qua

B. iij. per lavas

per lavacrum aquæ in verbo, ipse Deus pater, propter filium  
Mediatorem applicatione & ob-signatione promissionis gratiæ  
nos salvat. Tit. 3. v. 5. & ipse filius nos sanctificat & mundat.  
Eph. 5. v. 26. Ipse deniq; Spiritus sanctus nos regenerat,  
Ioh. 3. v. 5. ut Christi gratiâ, in cuius mortem & resurrectionem  
nem baptizamur, iustificati habeamus stipulationem bonæ con-  
scientiæ erga Deum, & heredes siamus vitæ æternæ. Ideo vir-  
tas illa, operatio & efficacia Baptismi est ipsius Dei, qui talia  
acta tanta in nobis non immediate, sed mediata per lavacrum  
aquæ in verbo operatur, donat atq; efficit.

IX.

Nimis itaq; frigidè de hoc Sacramento sentiunt Sacra-  
mentarij, qui disputant: Baptismū esse tantum externam quan-  
dam designationem, commonefactionē & testificationem eius,  
quod Deus vel ante, vel extra Baptismū, vel diu post, vel etiam  
sine eo interius per sanguinem Christi operetur. Longe ma-  
gnificentius scripture de Baptismo docet. Nam Petrus Act. 2.  
v. 38. Iudejs dicit: Baptizetur unusquisq; vestrum in nomine  
Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum. Et 1. Epist.  
3. v. 21. testatur, quod baptismus nos saluos faciat, non qui-  
dem ratione externæ ablutionis; sed quia est stipulatio bonæ  
conscientiæ erga Deum per resurrectionem Christi: Et quia  
non habemus baptismum sine Christo, verum ita baptizamur,  
ut Deus ipse per externum ministerium, & per hoc lavacrum  
aquæ in verbo nos mundet & salvos faciat. Eph. 5. v. 26. Tit.  
3. v. 5. Ita quoq; Patres. Cyrillus, lib. 6. cap. 14. in Iohan.  
Catechumenus debet baptizari, ut verum lumen agnoscat, & pec-  
catorum omnium remissionem accipiat. Ambrosius lib. de poen.  
cap. 7. In baptismo utiq; peccatorum omnium est remissio. Berno-  
hardus ser. de Bapt. Lavamur in Baptismo, quia deletur chirogra-  
phum damnationis nostræ.

X.

Sicue

Sicut autem in veteri Testamento Circumcisio in singulis  
tantum semel fiebat: ita in novo Testamento nos singulos tan-  
tum semel baptizandos esse affirmamus. Salutaris enim opera-  
rio & efficacia baptismi durat, per totam hominis vitam in his  
terrī usq; ad vitam æternam, donec Christus ipse sibi sistat Ec-  
clesiam suam gloriosam, non habentem maculam aut rugam,  
aut aliquid huiusmodi. Eph. 5. v. 27.

XI.

Interim quandiu in mortali hoc corpore vivimus, pecca-  
tum non penitus in nobis aboletur: Sed ut eleganter Augusti-  
nus dicit, lib. I. de nupt. & Concup: cap. 25. *Peccatum in Ba-  
ptismo dimittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur.* Quia tamen  
baptismus est lauacrum, non tantum regenerationis, sed & re-  
novationis spiritus sancti. Tit. 3. v. 5. enixè baptizatis per to-  
tam vitam opera danda est, ut in vera pœnitentia & vitæ novi-  
tate ambulent. Qui enim sine pœnitentia vivunt, illi veram fi-  
dem non habent, & gratiam Dei rursus amittunt, sicq; senten-  
tiæ divini iudicij subiacent, quæ Marc. 16. v. 16. his verbis le-  
gitur. Qui non crediderit (licet baptizatus sit) condemnabitur.

XII.

Hinc D. Apostolus Paulus tum alibi tum maximè Rom. 6.  
ex Baptismo firmissimas & efficacissimas ad vitæ novitatem ex-  
hortationes dicit. Vbi dicit. 1. nos per baptismum morti Chri-  
sti insitos & cum ipso sepultos in mortem: ut scilicet virtute  
mortis Christi non tantum peccata nobis remittantur: verum  
etiam Spiritus sanctus incipiat in Carne nostra peccatum cruci-  
figere, mortificare & sepelire, ne regnet illud in mortali nostro  
Corpore, néve Concupiscentijs eius obediamus. 2. nos per  
baptismum resurrectionis Christi participes effici, ut scilicet  
eius virtute non tantum iusticia nobis donetur, sed etiam spiri-  
tus sanctus mentem renovet, ut novum hominem induamus,  
qui juxta Deum conditus est in iusticia & sanctitate veritatis.

Ex

### XIII.

Ethoc ceremoniâ immersionis in aquâ & emersionis ex ea  
denotari atq; significari Catechismus noster testatur. Meritum  
in aquam admonet nos de interitu & mortificatione veteris  
Adami, de pœnitentia & patientia in Cruce. Eductio verò ex  
aqua commonefacit nos de inchoatione novæ obedientiæ, vi-  
vificatione novi hominis & expectatione futuræ vitæ.

### XIV.

Si quis tamen vel à Sathanâ impulsus, vel á propriæ carnis  
infirmitate abreptus, hanc vitæ puritatem non servavit, sed cir-  
ca baptismum lapsibus contra conscientiam naufragium fecit,  
non propterea opus est ei, sive iteratione baptismi, uti Anabap-  
tistæ solent, sive secundâ tabulâ, quâ è profundo perditionis  
enatet, sicut Pontificij nugantur: sed per veram resipiscentiam  
se se rursus convertat ad Christum, & ex baptismo suo, quem  
in prima infantia suscepit, firmam consolationem hauriat. Pa-  
catum enim, quod Deus in illo nobiscum inijt, est pacatum sem-  
piternum, Iesa. 54. v. 10. Quare nostra incredulitas fidem Dei  
non faciet irritam, Rom. 3. v. 3. Et licet nos non credamus:  
Deus tamen fidelis est & manet, qui negare seipsum non po-  
test. 2. Tim. 2. v. 13.

### XV.

Porrò si quis interroget, qui nam sint baptizandi, ei sim-  
pliciter ex Christi ore respondemus: *OMNES GENTES.*  
Matth. 28. v. 19. hoc est, quicunq; nobis offeruntur, sive adulti  
illisint, sive infantes: hoc tamen ordine. Quod sicut in veteri  
Testamento adulti primùm docebantur, postea circumcideban-  
tur. Gen. 17. v. 7. Paruuli autem primùm circumcidébantur  
Gen: 17. v. 12. postea autem docebantur, quando iam interro-  
gare poterant, Deut. 6. v. 20. Ita etiam in novo Testamento,  
quando adulti conuertuntur, præcedat doctrina & sequatur  
baptismi administratio, Act. 2, cum infantibus verò ordo ve-  
teris

teris Testamenti servetur. Quia quod clm veteri populo fuit  
circumcisio: id hodie Christianis est baptismus. Colloſſ. 2.  
vers. 11, 12,

### XVI.

Et habet Pædobaptismus in verbo Dei satis firma fun-  
damenta. Certissimum enim est, promissionem gratiæ etiam  
ad infantes pertinere, Act. 2. v. 39. sed ad eos tantum qui Ec-  
clesiæ inseruntur. Sicut dictum est Mar. 10. v. 14. *Sinite  
parvulos ad me venire, quia taliū m̄ est regnum Dei.* Ad Chri-  
stum autem rectius venire aut Ecclesiæ aliter inseri non possunt,  
quam per baptismum, ubi in mortem & resurrectionem Christi  
baptizantur, Rom 6. v. 3. 1. pet. 3. v. 21. imò Christum induunt,  
Gal. 3. v. 27. sicq; verè tanquam membra Ecclesiæ mundantur  
& sanctificantur. Eph. 5. v. 26.

### XVII.

Quam item necessarius sit Pædobaptismus, Christus os-  
tendit Ioan 3. v. 5. dum Nicodemo inquit: Amen, amen dico  
tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire  
in regnum Dei. Cum itaq; infantes sint naturâ filii iræ, Eph. 2.  
v. 3. Omnino oportet eos consequi remissionem peccatorum:  
quod fit per baptismum, ceu legitimū ὁρατον & medium, Act.  
2. v. 38. Alioquin pereunt, & non salvantur. Si autem bapti-  
zentur, à Baptismo hanc utilitatem consequuntur, quod per  
Baptismum in fœdus cum Deo suscipiuntur, ipsisque gratia di-  
vina & salus à Christo parta applicatur & ob-signatur. Ita ut si  
in infantibus illis annis moriantur, parentes de eorum salute  
nihil dubitare possint.

### XVIII.

Damnamus itaque Anabaptistarum furores & similia, qui vel infantibus Baptismum denegant: vel alio quoque  
modo ad superstitiones & Idolatriam hoc lavacro regenerationis abutuntur, Verba Augustanae Confessionis hæc sunt: Ar-

tic. 9. De Baptismo docent nostræ Ecclesie, quod sit necessarius ad salutem, quodque per Baptismum offeratur gratia Dei. Et quod pueri sint baptizandi, qui per Baptismum oblati Deo recipientur in gratiam Dei. Damnant Anabaptistas, qui improbant Baptismum puerorum, & affirmant pueros sine baptismo salvos fieri. Et cum D. Augustino dicimus lib. de dogm. Eccles. cap. 24. Quicunq; parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, Anathema sit. Et cum D. Bernhardo serm. 4. de Epiph. Hodie scandalizaretur Ecclesia, si videret infantem non baptizarj.

### XIX.

Nequaquam tamen concedendum est infantes, qui baptizantur, vel sine fide esse, vel in aliena fide baptizarj. Iustus enim sua fide vivit. Abac. 2. v. 4. & impossibile est sine fide quenquam Deo placere. Heb. II. v. 6. Sed credendum, Christum per lavacrum aquæ in verbo, spiritu suo in infantibus qui baptizantur operari & efficacem esse, ut regnum Dei accipient. Mare. IO. v. 15. Et hæc vocatur infantium fides. Licet alia ratione in adultis, scientibus, intelligentibus & volentibus sit fides ex auditu, quam in infantibus rationis usu adhuc carentibus.

### XX.

Taxandu. etiam ille error Sacramentiorum est, quo contendunt infantes fidelium, eo ipso quia ex fidelibus parentibus nascuntur, etiam sine Baptismo, & priusquam baptizentur, non iræ sed gratiæ filios, non extra sed in regno cœlorum esse. Baptismum autem esse tantum externam significationem, quod antea sint hæredes vitæ æternæ.

### XXI.

Nam quia ea ratione & peccatum originis extenuatur, & salutaris Baptismi efficacia periculose encruciantur, iam olim ab Augustino hic error in Pelagianis damnatus & refutatus est lib. a. de bapt. parvul. cap. 25. & 26. Et si enim promissio gratiæ & regni

regni Cælorum, non tantum ad parentes, verum etiam ad liberos eorum pertinet, Genes. 17. v. 7. & Act. 2. v. 39. tamen nisi fiat applicatio, promissio non prodest: Applicatio autem fit, non carnali generatione, sed spirituali regeneratione: cuius ordinariū medium est Baptismus. Et verè Augustinus serm. 14. de verb. Apost. Ideo de baptizato non justus nascitur: quis non generat, unde regeneratus est, sed unde generatus est.

### XXII.

Interim tamen minime fideliū liberos damnatos esse pronunciamus, si qui antequam nascantur moriantur. Nam ubi Deus nobis liberos nostros in manus dat & simul media offerit, quibus sigillum fœderis gratiæ ipsis applicari potest, tunc Deus pronunciat, anima masculi de populo excindatur, cuius caro præputij ad octavum diem non circumcisâ fuerit. Genes. 17. v. 14. Vbi vero talia media, seu facultas illa applicandi dicitur, ibi gratia Dei ad Sacraenta non ita est alliganda, quasi Deus non alio modo in infantulis ad salutem ipsorum operari possit. Sed potius per preces Christo sunt adducendi, nec dubitandum, quin illæ in nomine Christi factæ, & promissionibus ipsis innixa, clementer exaudiantur. Ioan. 16. v. 23.

### XXIII.

Monendi tamen parentes, ut quamprimum liberj ipsorum in hanc lucem eduntur, cum ipsis ad Baptismum properent, ne diu medio illo, per quod ad regenerationis beneficium pervenire possunt, defraudentur. In quem finem etiam, si infantali de vita periclitentur, in tali necessitatis casu, nec laicis, nec mulieribus administratione huius Sacramenti in nostris Ecclesiis interdicimus. De quo Augustinus lib. 2. contra Epist. Parm. cap. 17. Voluit Dominus baptizarj à servo, ut & doceres humilitatem, & ostenderet non interesse, à quo quis baptizetur.

### XXIV.

Sed adversarij præter Gynæcobaptismū etiam de Exorcismo,

C iij qui

qui in Ecclesiis nostris retinetur, litem nobis acerbam movent.  
Verum inter pacis amantes, & calumnias non necessarias vitantes, haec disputatio facile expediri potest, ne distractiones inde oriantur.

### XXV.

Axiōmata enim haec firma esse debent. 1. Substantia Baptismi tantum consistit, in ablutione per aquam & pronunciacione illorum verborum Baptizo te, in nomine Patris, Filii & spiritus sancti. 2. Reliqui ritus, qui in actione Baptismi adduntur in nostris Ecclesiis, ad substantiam Baptismi non pertinent: sed sine illis Baptismus integer est & perfectus. 3. Quia tamen illi ipsi sunt succinctae declarationes & commonefactiones, usum & efficaciam Baptismi nobis ob oculos ponentes, nequam tamē, multo minus tumultuarie sunt vel rejiciendi vel damnandi, sed ita declarandi, ut Ecclesia inde aedificetur, & ruidores totam doctrinam Baptismi eō rectius ex illis ipsis ritibus addiscere & memoriae mandare possint.

### XXVI.

Sic nos Exorcismum, nequaquam de Substantia Baptismi esse statuimus. Quia tamen idem velustissimis Ecclesiarum temporibus usitatus fuit, & miseriam iofantis, ac potestatem Sathanæ, in qua ob peccatum Originis infans hæret, gratiam item Dei, potenter infantulos ex regno & potestate tenebrarum per Baptismum eripientis, gravi commonefactione ob oculos ponit: (Sicuti Lutherus in Præfatione libelli de actione Baptismi testatur) ideo ex nostris Ecclesiis illius usum nequaquam tamē eliminandum, sed hujus ritus verba & sententiam recte explicandam censemus.

### XXVII.

Omnino enim de peccato originis, de potestate & regno Sathanæ, de efficacia Baptismi, & gratia Christi nos ex Sathanæ regnoliberant, aliqua commonefactio in actione Baptismi, tum.

etim propter Sacra mentorum corruptelas , tum propter alios  
astantes fieri debet . Quibus autem verbis illa fieri debeat ,  
an per Exorcismum , an per alia verba , id in libertate Ecclesie  
rum merito relinquitur .

### XXVIII.

**N**on adeo firmum cum illis Ecclesiis consensum alimus , qui  
Exorcismum quidem omittunt ; superiora tamen illa doctrinæ  
capita retinent , & in actione Baptismi aliis scripturæ verbis ex-  
plicant . Qui verò Exorcismum vel omittunt vel rejiciunt hanc  
ob causam , quod opinentur infantes vel non habere peccata ,  
nec esse naturâ filios iræ , aut sub potestate Sathanæ : vel licet in  
peccatis sint nati , tamen quia ex fidelibus parentibus sunt pro-  
gnati , ideo etiam ante baptismum esse in regno cœlorum , nec  
sub potestate Sathanæ : vel etiam infantes non per Baptismum  
ex potestate Sathanæ eripi . iis nequaquam consentire possumus ,  
sed eos taxandos & improbandos , ut qui ad Sacramentariorum  
& Anabaptistarum castra secessionem fecerint , confidenter asse-  
veramus .

### XXIX.

**N**emo tamen interimi nos adeo vesanos esse existimet , ut  
Exorcismi verbis utentes , infantulos nostros corporaliter ob-  
sessos putemus . Sed quia ex Dei verbo scimus , longè tristius  
& periculosis malum esse , aliquem propter peccatum regni  
cœlorum extorrem esse , spiritualiter captivum detineri , & sub  
regno & potestate tenebrarum hærere , quam corporaliter ob-  
sessum esse , ideo nos verba illa , utconque inassuetis auribus dū-  
rè sonare videantur , non offendunt . Et quia ex illa diabolica  
potestate , solus Deus pater , divina sua potentia , propter Fili-  
um , per Spiritum sanctum , in Baptismo nos liberat , non sine gra-  
vi causa his verbis ( *Adjuro te in nomine Patris , & Filii , & Spi-  
ritus sancti* ) Orthodoxam veritatem in hac actione religiose  
usam esse existimamus , quibus declarare voluerunt , quid tota  
C. iij Trinitas .

Trinitas, durante adhuc illa actione per Baptismum in infante  
operatura sit.

**XXX,**

Ipsis igitur verbis Exorcismi in se vim nullam adscribi-  
mus. Quia tamen ministerium nostrum, est ministerium spiritus.  
2. Cor. 3. v. 8. & arma militiae nostrae sunt *devaria* *ad* de-  
structionem munitionum. 2. Cor. 10. v. 4. ideo nimis restricte  
de suo ministerio judicare nobis videntur, qui dubitant, an per  
illud Sathanam spiritualiter pellere possint. Neque enim Chris-  
tus Iesus nos minus ad id vocavit, ut gentibus aperiamus ocu-  
los, quod conuertantur de tenebris ad lucem, & de potestate  
Sathanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum & for-  
tunam inter sanctos, per fidem quæ est in Christu, quam olim

Apostolum Paulum. Act. 26. v. 18. Mar. 16. v. 17.

**III.**

**DE COENA DOMINI.**

*Sequentes Theses, venerandus Vir Dn.*

*M. VITUS VOLFRUM*

*propugnaturus est.*

**I.**

**B**aptismo, per quem filii Dei & hæredes  
æternæ vitæ reddimur, Christus Salvator nos-  
tam alterum Sacramentum addidit, propriea, quia  
hæreditatem, quam in Baptismo accepimus, & nunc  
spe, Rom. 8. v. 24. sed quasi in ænigmate 1 Cor. 13. v. 12. possi-  
demus, rursus amittere possumus, si secundum carnem vixeri-  
mus. Rom. 8. v. 13. Imò quia debiles sumus, & Sathan hostis  
circuit, 1. Pet. 5. v. 8. sèpius amittimus Ideo Christus hic ordi-  
navit aliud medium, & erexit novum Testamentum, per quod  
vult

vult misericordiam suam nobiscum, etiam cum lapsi sumus, redintegrare.

II.

Variæ autem hujus Sacramenti appellations extant. Christus vocavit novum Testamentum, & sui recordationem. Paulus appellavit Domini Cœnam, domini mensam, fractionem panis. Patres Eucharistiam, agapas, ephodium nostræ peregrinationis, sacrificium: recentiores, Missam ( absq; tamen ulla certa ratione ) dixerunt. Nos usitatem Sacramentum ( ut pot. mysterium rationi incognitum ) altaris nuncupamus.

III.

Quod rem ipsam attinet, sufficit nobis Lutheri definitio, qua dicit: *Sacramentum Altaris est verum corpus & verus sanguis Domini nostri Iesu Christi, sub pane & vino nobis Christianis ad manducandum & bibendum, ab ipso Christo institutum.*

III.

Sunt hujus Sacramenti, ut & aliorum, duæ substantiales partes: Verbum nimirum & Elementum. Sed rectè hæc sunt explicanda. 1. Externa Elementa, quæ ad substantiam hujus Sacramenti pertinent, sunt panis & vinum: quæ juxta institutionem accipienda, & à communi usu, ad sacram hujus Cœnæ usum segreganda sunt. 2. Ad hæc Elementa accedat verbū institutionis: cuius virtute & efficacia, illud quod in tū hujus Cœnæ adest, exhibetur & accipitur, non est panis tantum, sed corpus Christi, quod pro nobis trādidit, nec vinum tantum, sed sanguis Christi quem pro nobis effudit in remissione peccatorum.

V.

Et verbum hoc quod ad Elementa accedere debet, non tantum ea ratione intelligatur, qua Christus semel in prima Cœna illud dixit: sed sicut Paulus inquit, 1. Cor. 10. v. 16. Poculum benedictionis, cui N O S benedicimus. In administratione enim Cœnæ Dominicæ verba Institutionis repetimusq; Elementa

menta ita includimus, ut nec Elementa separatim à verbo, nec verbum nudum sine elementis in Sacramento illo habeamus: sed (ut Lutherus loquitur) verbum elementis vestitum, & elementa verbo apprehensa. Inquam sententiam D. Chrysostomus piè scriptit, Hom. 7. de pass. Et nunc ille prestò est Christus, qui illam ornavit mensam, ipse istam quoq; consecrat. Non enim homo est, qui proposita Panem & vinum, Corpus Christi facit & sanguinem: sed ille, qui crucifixus pronobis est, Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia. Hoc est, ait, Corpus meum: hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox, qua dicit, Crescite & multiplicamini & replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum, ad generationem operante natura: Ita & vox illa (hoc est corpus meum: hic est sanguis meus) semel quidem dicta est: sed per omnes mensas Ecclesiae, usq; ad hodiernum diem, & usq; ad eius adventum, præstat sacrificio firmitatem.

#### V I.

Verba autem institutionis simpliciter intelligimus, sicuti sonant, quod & tutissimum est. Ut si interrogemur quidnam sit illud, quod in usu Cœnæ per manum ministri exhibetur, & ore sumentium accipitur. Verbis Christi (qui est magnus ille Propheta audiendus, Deut. 18. v. 15. & ipsa veritas Ioan. 14. v. 6.) respondemus, esse ipsius Christi Corpus & sanguinem: aut verbis Pauli, qui affirmat, 1. Cor. 10. v. 16. in Cœna Dominica fieri fractionem & uoraviam, hoc est, distributionem & participationem ipsius corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Hæc enim est ipsissima materia, hujus Sacramenti propria, quam in eo accipimus, & quidem perceptione tali, quæ fiat comeditione & bibitione oris. Dicit enim: Comedite, Bibite.

#### V II.

Et hæc quidem, si in perspicuo Salvatoris verbo simplici fide acquiesceremus, plana esent & facilitia. At vero humanorum

rum ingeniorum levitas facit, ut si nullibi aliâs, certe circa hoc caput doctrinæ Christianæ Sathanas vel maximè tumultuetur. Scit enim, quod quemadmodum pane & vino externus homo alitur ad hanc vitam temporalem: ita corpore & sanguine Christi internus homo sustentetur & conservetur ad æternam vitam. Iccirco nihil non tentat, quod nobis hoc spirituale alimentum vel eripere vel veneno inficere queat. Hinc excitat homines. 1. qui non accedunt. 2. qui indignè illud usurpant. 3. qui commutant in sacrificium. 4. qui admunt alteram speciem. 5. qui tantum panem & vinum in coena relinquunt. Corpus autem & sanguinem Christi in cœlum relegant.

### VIII.

His omnibus opponimus verba institutionis, quibus eorum inanitates abundè & sufficienter refutari possunt. Maxime autem postremo hominum ordini, fanaticis illis, qui Calvinianorum nomine nunc appellantur, vel hunc unicum Syllogismum ex illis iisdem institutionis verbis opponimus.

Christus affirmat nos illud corpus edere, quod pro nobis est traditum.

Sed pro nobis traditū est verum & essentiale Christi corpus. Ergo: verum & essentiale ipsius corpus edimus.

Item:

Christus affirmat nos illum sanguinem bibere, qui in Nono Testamento pro nobis est effusus.

At pro nobis effusus est verus & essentialis Christi sanguis. Ergo eundem bibimus.

### IX.

Et quidem Christus unus nobis sufficere debet & possit, ut ipsi fidem habeamus: quia verax, omniscius, sapiens, & omnipotens est: & verè Augustinus dixit: Considera auctoritem, & tolle dubitationem: non mediocriter tamen fidem nostram etiam illud confirmat, quod Apostoli, qui aliâs iam

D multiplices

Multiplices in Christi verbis habuerunt exceptiones, simpliciter tamen in his verbis acquererunt. Audiverunt nimis, non esse vulgaria verba, sed peculiarem fundationem, & quidem Novum Testamentum. Idem ergo quotquot verbi Christi discipuli esse volunt, facere debent.

X.

Addimus hisce consensum Euangelistarum. Tres Evangelistae, (Matthaeus, qui interfuerat: Marcus qui a Petro didicerat: Lucas qui omnia auctoritas inquisierat, Luc. i. v. 3.) institutionem describunt. Et licet in alijs historijs quo ad verba & circumstantias varient: hic tamen penè ad unum apicem usque concordes sunt. Gloriantur itaq; alij deorthodoxo, vel potius cacodoxo, consensu suo, ut volent: nobis hic consensus certior est.

X I.

Accedit præterea testimonium Pauli, qui Evangelium suum non ab hominibus accepit, Gal. i. v. 1. & 17. sed in coelesti Academia didicit, 2. Cor. 12. v. 2. Is, cum fundationem huius Sacramenti describeret, quam a Domino accepisse se testatur 1. Cor. 11. v. 23; ne in minimo quidem ab Euangelistarum verbis variat. Vnde colligimus, Christi etiam in gloria dominantis voluntatem esse, ut in prima institutione acquiescamus, nec alias glossas rationi humanæ plausibiles queramus. Cumque ipse Paulus quasi paraphrasi verba Christi illustrare uellet, dixit 1. Cor. 10. v. 16. panem esse communicationem corporis: vinum esse communicationem sanguinis Christi. De quibus verbis Apologia Augusta: Confess: luculenter scribit. Cumque Paulus dicat: Panem esse participationem corporis Domini &c. sequeretur panem non esse participationem corporis, Sed tantum spiritus Christi, si non adesseret vere corpus Dominij.

X II.

Deniq; moveret nos unanimis consensus Patrum, inde ab Apostolorum temporibus, Ignatius, Iustinus, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus,

Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Epiphanius, Hieronymus,  
Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Leo, Gregorius, Theod  
phylactus, Bulgarius, Beda, Bernhardus, omnes uno qua  
ore confirmant: Nos manducare in Cœna, quod pependit in  
cruce: & bibere ex calice, quod fluxit ex Christi latere. Sicuti  
eorum testimonia alibi sunt producta, quæ refutari non pos  
sunt. Et licet fides nostra hominum autoritate non nitatur,  
piam tamen mens non mediocriter recreatur, si intelligat, se non  
primum nec solum esse, qui verbum Dei sic intelligat: sed con  
tinua serie totam Catholicam Christi Ecclesiam illud eodem  
modo intellexisse & enarrasse.

### XIII.

His rationibus nos moti constanter statuimus & assever  
amus, in actione Cœna, quæ iuxta Christi institutionem in his  
terris celebratur, verè & substantialiter corpus & sanguinem  
Christi nobis exhiberj. Et serio improbamus atq; ex Ecclesijs  
nostris eliminatos optamus, qui quoscunq; tropos uerbis insti  
tutionis affingunt, vel de signo, vel de efficacia absentis corpo  
ris augantur, vel qui ullam aliam præsentiam comminiscuntur,  
quam sicut verba institutionis sonant.

### XIV.

Et quidem evidētia tum verborum institutionis, tum illa  
rum rationum recensitarum est tanta atq; tam illustris, vt ipsi  
Sacramentarij ea convincti lingua iam ita temperare dīcērīt,  
vt licet proorsus diversum à nobis sentiant, idem tamen nobiscum  
loqui videantur: sicq; multos imperitos circumveniunt. Dicunt,  
se credere in Cœna accipi corpus Christi: sed intelligunt cor  
pus absens. Dicunt, se credere exhiberi & sumi in Cœna cor  
pus & sanguinem Christi: sed intelligunt exhibitionem &  
sumptionem spiritualem. Interdum etiam de præsentia loquun  
tur: sed intelligunt talem præsentiam, qua fides cogitationibus  
omnes cœlos transcendat, ibidemq; corpus Christi apprehe  
nsione.

D ij dat

dāt. Ut ita maioris nūc & difficilioris laboris sit lucis fugas dipnoa.  
Sophistas & κλεψύδρας Calvinistas (cuius nominis pudet eos,  
qui tamen dogma mordicus tenent) recte agnoscere, quām eo-  
rum argumenta refutare. Quare iuniores instituendi videntur,  
quibus κριτηρίοις & nouis istud hominum genus probare & in-  
vestigare debeant, ne eorum strophis & cothurnis decipientur.

XV.

Prīma nota hæc sit: quod probaturi Calvinianos inqui-  
rant: utrum verba Cœnæ ita accipiant, sicut in propria, simpli-  
ci, nativa & genuina sua sententia sonant. Cum enim sint verba  
Testamenti Filij Dei; & in politicis crimen & scelus sit honesti  
viri verba in Testamento vel pervertere, vel secus interpretari;  
ac sonant: quām infinitis ergo modis gravius crimen erit, ver-  
bis Testamenti filij Dej ludere, & varias de eorundem sensu  
opiniones fingere:

XVI.

Secunda nota sit; ut inquirant: Vtrum credant, quod  
Christus substantia corporis suj, tantum in cœlo nunc sit, an  
etiam in cœna Dōmini, ubiqunq; ea in his terris iuxta institu-  
tionem ipsius celebratur. Dulcissima enim hæc consolatio est:  
quod cum nos pondere carnis gravati inhabiles essemus, qui  
cœlorum cœlos transcederemus, sicq; Christo coniungere-  
mur, ipse Christus ad nos venit, & se nobis vnit, non tantum ha-  
bitudine, sed & participatione naturali. (Sicut Cyrillus in Ioan.  
cap. 15. loquitur.) ut sic nos sibi arctissimè copulatos in cœ-  
los elever. Cuius coniunctionis arrham & pignus certissimum  
hoc sacrosanctum corporis & sanguinis suj sacramentum re-  
liquit.

XVII.

Tertia nota sit, ut inquirant: Vtrum credant, quod in usu  
cœnæ Dominicæ, dato & accepto pane & calice, de quibus Christus  
dicit, accipite, comedite, hoc est Corpus meum: Et bibite,  
hic:

hic est sanguis meus Novi Testamenti, accipiant ore corporis  
sui, non tantum Elementa panis & vini ( hæc enim non sunt  
integrum Sacramentum ) sed simul corpus & sanguinem  
Christi. Panem quidem modo & ratione naturali: Corpus  
Christi autem modo cœlesti, supernaturali & incomprehensi-  
bilj, veré tamen & mandatione Sacramentali. De qua man-  
datione piè, religiose & reverenter ita loquendum est, ut &  
à Capernaiticis imaginationibus, & à Sacramentariorum specu-  
lationibus nos sciungamus.

### XVIII.

Quarta nota sit, ut inquirant: utrum credant, quod in-  
digni in usu cœnæ dominicæ non tantum panem & vinum, sed  
& corpus atq; sanguinem Christi accipiant, atq; sic indigna-  
mandatione rej fiant corporis & sanguinis Christi? Cum  
enim nec fides, nec infidelitas, nec dignitas nec indignitas  
nostra substantia Sacramentorum aliquid addat vel detrahatur,  
ubi servatur institutio: Omnino verum esse statuimus illud ve-  
teruin: *Sumunt boni, sumunt mali: sorte tamen in equali, & illud*  
Augustini contra Fulgentium: *Iudas proditor bonum corpus per-*  
*cepit: Sed quia bono bene non est usus, malus male utendo deletus*  
*est.* Quisque ergo viderit, ut ad salutarem Cœnæ usum, præter  
Sacramentalem mandationem, etiam spiritualem afferat.

### XIX.

Hisce notis Cryptocalvinianos ex latebris suis in lucem  
protrahi, & quales sint agnosci posse statuimus. Quicunq; au-  
tem in illis ijsdem nobis sunt ὅμοψηφοι, nobiscꝝ κατηρπομόρφοι  
εἰς τὴν αὐτὴν τοῦ νοῦ τὴν αὐτὴν γνῶμην. Cor. I. v. 10. eos à su-  
spicione Caluinianismi in hoc Articulo liberamus.

### XX.

Diserté autem ad retundendas calumnias adversanti-  
um protestamur, nos huius nostræ doctrinæ, de vera & sub-  
stantiali præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna, nulla

D iii. alia

alia peregrina aut exotica fundamenta quærere, quam verba  
institutionis. Christus in ijs dixit, Hoc est corpus meum; hic est  
sanguis meus. Hæc verba nobis sufficiunt: quia sunt veracis &  
omnipotentis Filij Dei. Et ut magno desiderio Christi, corpus  
in pane Cœnæ quærimus: ita toto pectore abhorremus, ab illa  
per calumniam nobis afficta propositione, quasi statueremus,  
& cor pus Christi quæreremus in omnibus herbis, lignis, lapi-  
dibus, cantharis cerevisiarjs, & alijs immundis locis. Quærant  
illud alij suo periculo ubicunq; voluerint: nos à Christo ad Sa-  
cram cœnam alegates nos esse scimus, in cuius institutione ac-  
quiescimus.

XXI.

Quod verò in hac controversia etiam de hypostatica uni-  
one duarum naturarum in Christo, de ascensione eius in cœ-  
lum, & sessione ad dextram patris, pluribusq; alicubi essendi  
modis disputatur, non eo fine sit, quasi fundamentum & sedem  
huius doctrinæ in illis articulis constituamus: sed quia Sacra-  
mentarii varia argumenta ex illis Articulis, adversus simplicem  
sententiam verborum institutionis, proferunt: Ideo Lutherus  
noster, & alij sinceri Theologi in refutatione ostenderunt, pro-  
priam sententiam verborum institutionis, per illos Articulos  
usq; adeò non everti, ut magis inde confirmetur. Atq; sic hi  
ipsi Articuli suo quoq; modo fundamenta, sed ἐλεγκτικὰ, di-  
cuntur.

XXII.

Quemadmodū verò ex una parte (sicut hæc tenus ostendimus)  
ex animo detestamur phanaticas opiniones & blasphemias Sacra-  
mentiorum: Ita ex altera parte non minus abhorremus ab er-  
roribus, superstitionibus, Idolomanijs & sacrilegijs ponuficiorū.

XXIII.

Erroneum enim statuimus, fingere transubstantia-  
tionem panis in corpus, & vini in sanguinem Christi. Ac licet  
Elementa panis ac vini, quando Dei nominationem accipiunt,  
ad excellentiore conditionem prouehi omnes Pauperes unanima-

ter

ier affirmant: tamen suam Substantiam retinere cum Paulus statuunt. Et quia Sacramenti proprietas requirit, ut in eo sint duas distinctae res & substantiae, quae Sacramentali unione consistentes, unum integrum Sacramentum constituant: Ideo nostrae Ecclesiae, ut ostendant, se & Pontificiorum Transubstantiationis figuramentum, & Calvinianorum corporis Christi in cœlos relegationem vitare, his phrasibus uti solent: quod in, cum & sub pane & vino praesens sit, exhibetur & accipiatur corpus & sanguis Christi.

XXIIII.

Superstitiosum esse dicimus, quod panem (ut vocant) consecratum reponunt, includunt aut etiam circumgestant, sibi persuadent, adesse corpus & sanguinem Christi, etiamsi symbola nec exhibeantur, nec sumantur. Et si non usus Sacramenti non facit Sacramentum, sed Christi institutio: Christus tamen ipse hoc Sacramentum non vult prostatu ad spectandum, sed esse talem actionem, in qua panis & vinum primum accipientur & benedicantur, ac deinde distribuantur & exhibeantur: denique suscipiantur & sumantur, hoc est, edantur & bibantur. Et ubi haec sunt, ibi de pane pronunciat Christus: Hoc est corpus meum, & de vino: hic est sanguis meus. Ubi vero panis & vinum benedicuntur quidem, sed nec distribuuntur, nec edendo ac bibendo sumuntur, in tali actione certum est, verbum institutionis non integrum accedere ad Elementum, & proinde etiam integrum Sacramentum ibi esse non posse.

XXV.

Idolatricum autem est, quod Sacramentum hoc in Missa transformant in sacrificium pro peccatis vivorum & mortuorum. Persuadent enim suis, si missificans in ipsius Missæ celebrationem cum vino & pane varios gestus repræsentet, elevatione, depositione, & in omnes plagas orbis ventilacione, secundum verba Canonis, tum hanc actionem tam præstans esse opus, ut eo ipso Christus Deo patri denuo offeratur, licet iacruente

in cruento modo tanquam expiatorium sacrificium; per quod sacrificulus divinam gratiam, remissionem peccatorum, spiritua-  
lia & corporalia beneficia impetrat, non tantum spectatoribus  
sed & absentibus, in ore & mortuis, pro quibus Missæ illæ cele-  
brari solent. Hoc quia injuriosum est in unicum, perfectum &  
consummatum Christi sacrificium, & invocationem sanctorum  
cum aliis Idolatricis opinionibus conjunctam habet: Ideo pio  
zelo à Majoribus nostris ex Ecclesia Christi est explosum.

### XXVI.

Sacrilegium denique committunt Pontificii, dum Laicis  
alteram Sacramenti partem, calicem nimirum surripiunt. Quod  
cum contra expressum Christi verbum, Matth. 26 v. 28. bibite  
ex hoc omnes, & contra Apostolorum exemplum Mar. 14. v.  
24. et biberunt ex eo omnes, pugnet, nullo praetextu defendi  
potest.

### XXVII.

Etsi ergo Christus est indivisibilis: tamen secundum in-  
stitutionem certò statuimus, sub pane tantum corpus Christi,  
non sanguinem, & in vino sanguinem ejus bibendum exhibe-  
ri, non corpus, modo tamen incomprehensibili, nisi quan-  
tum Dei verbo credimus. Quanquam item multis distribuatur  
hæc cœna, & singulis integrum corpus atque sanguis Christi,  
atque adeò totus Christus exhibetur: tamen non sunt plura  
Christi corpora, sed unum tantum: nec plures Christi sed unus.  
Christus. n. est. & manet unicum caput Ecclesie suæ, sicut unus  
caput est omnium membrorum universi corporis humani, I.  
Cor 10. v. 17. & 14. v. 14. Eleganter itaque vetus cecinit Eccle-  
sia: Sumit unus, sumunt mille: tantum iste, quantum ille: nec  
sumptus absimitur. Item: Aspergente non concisus, Non confactus  
nec divisus, Integer accipitur.

### XXVIII.

Fines sive fructus Sacramenti hujus sunt complures:  
Principalis tamen est, quem verba institutionis monstrant:  
Hoc

Hoc facite in mei commemorationem. Quod nos usitatè fieri dicimus ad confirmationem fidei. Vult enim filius Dei, ut singuli hoc sacramento utentes, eo cœu publico gratiæ testimonio fidem suam confirment, ac statuant se per hoc medium sibi applicare beneficia Mediatoris, ac universalem Evangelij promissionem ad se etiam pertinere: ita ut quisque ea & niti & se consolari possit, firmiter credens, etiam in se impleri illud Ioan. 15. v. 4. Manete in me, & Ego in vobis. Et Ioan. 17. v. 23. Ego in eis, & tu in me.

### XXIX.

Addimus autem & hoc, mentem esse rectè præparandam: ne qui indignè sumit, edat sibi ipsi judicium 1. Cor. 11. v. 19. Est igitur necessarium, ut accessurus ad Cœnam Domini afferat poenitentiam seu conversionem, & accusam fidem in consideratione mortis, resurrectionis & beneficiorum filij Dei, huius fidei confirmationem ibi querat. Nec existimandum, propter ipsam sumptionem ex opere operato hinc nobis remitti peccata: Sed credendum, quod hoc fiat propter mortem, meritum & resurrectionem Filij Dei, quæ fiducia hac testificatione confirmatur, ut hinc subsequatur consolatio, gaudium conscientiæ & gratiarum actio.

### XXX.

Cumque externus usus cœnæ ad adultos tantum pertinet, qui externo ministerio doceri possunt & doctrinam intelligunt, non sunt ad hanc cœnam admittendi infantes & ignari quid rerum ibi agatur: nec prorsus ignari doctrinæ Christianæ: aut polluti manifestis delictis contra conscientiam, nisi veræ poenitentiæ & fidei signa ostendant, ne cumulentur peccata & poenæ peccatorum in his, qui indignè hoc Sacramento utuntur. Econtrario autem qui doctrinæ summam didicerunt, illi propter severissimum Christi mandatum s̄epe hac sacra coena uti debent. Et certum est, quod quicunque vel ex Epicureo contemptu, vel ex carnali securitate, vel ex quacunque affectata negligentia usum eius intermittunt, graviter peccent. Quanquam hinc nulla certa

E regula

regula præscribi possit aut debeat, præterquam quod misera conscientiae monstrata summa necessitate & proposito tangentis fructu huius cœnæ, ad frequentem eius usum extandæ sint.

Verba Angustianæ Confessionis de hoc sacramento in decimo Articulo hæc sunt. *De cœna Domini docent (nostræ Ecclesie) quod corpus & sanguis Christi verè adsint & distribuantur vescientibus in cœna Domini: & improbant secus docentes.*

#### III.

### DE QVINQVE RESIDVIS PONTIFICIORVM PSEUDO- sacramentis.

Sequentium thesum patrocinium, Venerans  
dus Dn. M. LAURENTIVS DRABITIVS, in se receperus est.

#### I.

 Ommatum septem sacramentorum admodum recens est, natum primis temporibus Hugonis & Magistri Sententiarum, & ignotum omnibus vetustis Ecclesie Doctoribus: radeò ut Pontificij, qui alias nusquam non de antiquitatis consenserunt & suffragiis magnifice gloriantur, hic ne unum quidem eius testimonium proferre possint.

#### II.

Sunt autem hæc quinque, quæ præter Baptismum & Cœnam Domini enumerant. Confirmatio, Ordinatio, Pœnitentiæ absolutio, Coniugium & extrema Vnctio. Quia vero hæc ipsa partim Elemento destituuntur: partim promissione gratiæ carent: partim non habent verbum ex æquo od omnes & singulos pertinens: partim non sunt testimonia remissionis.

**S**ionis peccatorum seu reconciliationis gratuitæ: ideo ne pro Sacramentis, verè & propriè sic dictis, in Ecclesia Christi haberi possunt.

III.

Contra hæc Pseudosacra menta autem ita disputandum est, ut rebus ipsis, quæ illorum vocabulis notantur, quatenus in Scriptura sacra locum habent, nihil detrahamus, sed iusta laude eas prosequamur. Dignius tamen eas ornare aut rectius illustrare non possumus, quam si in illa puritate & simplicitate, quam Scriptura tradit, acquiescamus: peregrina autem & adulterina omnia rejiciamus. Sicuti de singulis breviter illud monstrabimus.

III.

**C O N F I R M A T I O** in primitiva Ecclesia fuit exploratio doctrinæ, in qua singuli recitabant summam doctrinæ Christianæ, & palam profitebantur, se improbare furores Iudæorum, idolomaniam Ethnicorum & impietatem Hæreticorum: testabantur quoque se velle esse & manere membra veræ Ecclesiae Christi, neque per Dei gratiam unquam discedere à vera sententia, quam tunc proflerentur. Postea Apostoli super eos precabantur, ipsique manus imponebant: quo facto, dona Spiritus sancti visibiliter effundebantur super credentes, sique ipsi confirmabantur.

V.

Hic mos utilis erat, & ad erudiendos & ad retinendos homines in vera Dei agnitione. Ac in nostris Ecclesiis omnibus similia fieri optandum est. Utile enim est juniores in Castechesi ita crudiri, ut & profectus ipsorum exploretur: & doctrinam fidei ipsi profiteantur: & simul coniungantur processus pro junioribus. Quod exercitium nequaquam sine fructu abit.

VI.

Veruntamen ex illo more non est Sacramentum fabricandum. Licet enim promissiones habeamus de dono confirmationis, de augmento donorum spiritualium, deq; perseverantia in ijs: tamen promissionibus illis nullum externum Elementum est additum, neq; mandatum aliquod, quomodo

externum illud Elementum sit tractandum: multò minus  
promissio, qua gratia Dei, remissio peccatorum & aeterna  
salus conferatur ijs, qui istiusmodi exercitio utuntur.

VII.

Pontificii quidem, ut ne Elemento in administratio-  
ne fictitiū huius sui Sacramenti carere viderentur, remota  
manuum impositione, qua Apostoli utebantur, chrismatis  
unctionem & crucis signationem substituerunt; quod absq;  
dubio divinitū factum est, ut tanto magis appareat, hanc  
ipsorum Confirmationem fundamento in sacris carere, cùm  
ne Apostolorum quidem exemplum prætexere, neque uspi-  
am in novo Testamento monstrare possint, quod ad chris-  
matis illitionem Spiritus sanctus detur.

VIII.

Cum primis autem in sacrosanctum Iesu Christi baptis-  
ma contumeliosum est, quod Pontificios scriptores assevera-  
re non pudet, chrismatis in Confirmatione, quod nec man-  
datum Dei, nec promissionem filij Dei habet, dignitatem  
ampliorem & multò præstantiorem esse, quam ipsius Baptis-  
mi, licet hic expreſsum habeat mandatum & promissionem  
ipsius filij, Dei voce confirmatam. Quod item dicunt: Ba-  
ptismum esse tantum Sacramentum initiationis, per confirmationem  
verò conferri perfectionem gratiæ & gloriæ.

IX.

Talem Confirmationem orthodoxa Ecclesia  
ignorat. Hoc autem Scriptura duce didicimus, quod ver-  
bum, fides, oratio, sacramentorum usus & donorum exer-  
citia sint divinitū ordinata media, per quæ Deus & fidem  
& reliqua Spiritus sancti dona conferre, confirmare, auge-  
re & conservare velit.

X.

ORDINATIO est legitima ad ministerium Evans-  
gelii vocatio & publica eiusdem vocationis declaratio &  
approbatio, quæ omnino in Ecclesia est conservanda iuxta  
præceptum Apostoli 2. Tim. 2. v. 2. & Tit. 1. v. 5. Et habet  
ea pro-

ea promissionem, quod Deus legitimè vocatos velit donis ad ministerium necessariis ornare, 2. Cor. 3. v. 6. 2. Tim. 1. v. 6. quodque per ministerium iporum velit efficax esse. Sicut ipse amplissimas promissiones addidit, Luc. 10. v. 16. qui vos audit, me audit. Ioan. 17. v. 20. Rogo non pro eis tantum, sed pro omnibus credituris per verbum eorum. Ioan. 20. v. 23. Quorum remiseritis peccata, remittuntur. Rom. 1. v. 16. Euangelium est potentia ad salutem omni credenti.

### X I.

Meritò ergò agimus filio Dei gratias, quod instituit & conservat hoc ministerium, sicque nos à peccato, à potestate Diaboli & æterna morte liberatos in regnum suum recipit, gratia, iusticia atque æterna vita donat. Et oramus filium Dei, ut ipse sedens ad dexteram æterni patris, & dona dantis hominibus, Ephes. 4. v. 11. etiam in posterum det Pastores & idoneos ministros, eosque adjuvet, ut cursus docentium sit salutaris. Fatemur enim ministerii dignitatem, adversus phanaticos & Epicureos eius contemptores, in Ecclesia omni modo ornandam, & quasi in illustri loco constituantem esse.

### X II.

Quo nomine & Anabaptistas damnamus, qui unā cum ministerio ordinationem contemnunt, & novas revelationes, atque illuminationes à Deo expectandas singunt: & sententiam Apologiae Augustanae Confessionis probamus, quæ Art. 13. testatur, se Ordinem, si de verbi ministerio intelligatur, non gravatum velle vocare Sacramentum, ob mandatum, magnificas promissiones & manuum impositionem, dummodò discernatur à Baptismo & Eucharistia, quæ duo sola verè & propriè sint & vocentur sacramenta.

### X III.

Cum enim careat ordinaria hac promissione, quod omnis ordinatus per ordinationem gratiam Dei & æternam salutem consequatur. Siquidem multi, qui prophetarunt,

E 3 audient

Audient inde illa, non novi vos. Matth. 7. v. 23. Et impio dicit Dominus Psal. 50. v. 16. Quare tu enarras iusticias meas, & assumis testamentum meum per ostium? Cum item careat externo Elemento, quod Christus expressè in verbo suo instituisset? (Nam impositio manuum apud Apostolos fuit ἀδιάφορος & unctione Pontificiorum nec mandatum nec exemplum in Scriptura habet, sed κακογλυχία quadam umbrarum Leviticarum introducta est, ideo verum Sacramentum esse non potest.

#### XIII.

Intolerabile itaque Pontificiorum nugamentum est: quod ritum ordinationis suæ dicunt Sacramentum esse, præminentia nobilitatis & perfectionis dignius & præstantius, quam Sacramentum Baptismi. Quia (inquit) ordo constituit hominem in gratia, gradu & statu dignitatis, quod Baptismus non facit. Nec minus intolerabilis est illa tyrannus, qua ordinationem, quæ propriè ad totam Ecclesiam pertinet, ad se rapiunt & transferunt: nec ullos veros Ecclesiæ ministros esse somniant, nisi qui ab ordinaria (ut vocant) sed & consilientur, radantur, ungantur atque sic ordinentur.

#### XV.

Verba Augustanae Confessionis sunt. Artic. 5. Ut hanc fidem consequamur, institutum est ministerium docendi Evangelii & porrigendi Sacra menta. Nam per verbum & Sacra menta, tanquam per instrumenta donatur Spiritus Sanctus, qui fidem efficit, ubi & quando visum est Deo, in iis qui audiunt Evangelium, scilicet, quod Deus non propter nostra merita, sed propter Christum iustificet, hos qui credunt, se propter Christum in gratia recipi. Damnant Anabaptistas & alios, qui sentiunt Spiritum sanctum contingere sine verbo exterioro hominibus per ipsorum preparationes & opera. Et Art. 14. sunt hæc verba: De ordine Ecclesiastico docent, quod nemo debeat

*In Ecclesia publicè docere, aut Sacra mentia administrare nisi  
ritè vocatus.*

XVI.

**A B S O L V T I O** pœnitentium est potestas tradita mi-  
nistris Ecclesiæ à Christo, qua per vocem Evangelii, remis-  
sionem peccatorum, donationem Spiritus sancti & vitam  
æternam in nomine Iesu Christi, non tantum publicè &  
generatim omnibus, sed & privatim atque in specie singulis  
peccatoribus & pœnitentiam agentibus, veniamque propter  
Christum Mediatorem potentibus, annunciant.

XVII.

**E**t sunt causæ gravissimæ ob quas privata Absolutio  
in Ecclesijs retinenda est. Aliquæ verbi ministros respiciunt:  
ut scilicet illi in tali privato colloquio explorare possint, ut  
trum auditores necessaria doctrinæ ecclæstis capita recte in-  
telligent: utrum de peccatis suis & lapsibus verè pœniteant  
& doleant: utrum vera & firma fide in Christum peccato-  
rum remissionem querant: utrum denique pium emenda-  
tionis propositum habeant. Aliquæ respiciunt auditores:  
ut quando ipsorum conscientiæ vel scrupulo aliquo pun-  
guntur, vel tentatione graviore premuntur, hac occasione  
consilio suorum Pastorum utantur: utque promissio gratiæ,  
quæ in doctrina Evangelii est universalis, per absolutionem  
applicetur ad singulos, addita hac asseveratione quod gratia  
exuberet supra delictum. Rom. 5. v. 20. Eleganter enim  
Bernardus. *Necessæ est omnium primum credere, quod pe-  
ccata non remittantur nisi per indulgentiam Dei: sed addere e-  
tiam ut credas quod TIBI peccata remittantur.* Aliquæ re-  
spiciunt totam Ecclesiam. Est enim hæc absolutio evidens  
testimonium contra Novatianos & similes, quod etiam  
post Baptismum lapsi in scandala peccata remittantur.

XVIII.

*Quapropter*

Quapropter serio & cum' gratiarum actione. Art. August. Confess: contra Calvinianos acceptamus. De confessione docent (nostræ Ecclesiæ) quòd absolutio privata in Ecclesiis retinenda sit, quanquam in confessione non sit necessaria omnium delictorum enumeratio. Est enim impossibilis iuxta Psalmum: Delicta quis intelligit.

XIX.

Vtque salutaris usus privatæ absolutionis, Ecclesiæ ex sententia verbi Dei magis commendetur: nostri sape protestati sunt, maxime in Apologia Augustanæ Confessionis Art. 12. & 13. se non pugnare, sed libenter concedere, ut absolutio, quia habeat applicationem generalis promissionis ad singulos hoc ministerio & hac potestate clavium utentes, inter Sacraenta numeretur, atque Sacramentum pœnitentiæ dicatur.

XX.

Veruntamen quia Absolutio non habet certum exterrimum Elementum, signum aut ritum divinitus mandatum: Et licet adhibeatur impositio manuum, illa tamen peculiari Dei mandato destituitur: caret quoq; expressa promissione, quòd per talem exterrimum ritum Deus velite efficax esse ad applicacionem promissionis Evangelii. Ideo Absolutio eo modo, sicut Baptismus & Cœna Domini, Sacramentum dici & esse non potest.

XXI.

Et hic quidem est verus usus Absolutionis, sive clavis solventis. Teterimum verò illum abusum huius potestatis, quo ex clave absolutionis sub Papatu facta est nundinatio & venditio indulgentiarum, additis sanctorum meritis, & horribili carnificina conscientiæ ad proprias satisfactiones, abiecto Christi merito, abductæ sunt, toto pectore damnamus. Sicut & Calvinistarum intemperiem improbamus, qui Absolutionem privatam ob abusum, qui in Papatu accessit, totam ex Ecclesijs suis eliminarunt.

MATR.

X X I I.

*MATRIMONIVM* est legitima & indissolubilis coniunctio unius maris & unius foeminae, observanda propter mandatum Dei, qui vult hoc modo genus humanum ad sui ipsius propagationem consociatum esse, & castitatem erga invicem colere, ieq; mutuo ita juvare, ut ne tamen turpes in eo vagentur libidines.

X X I I I.

Hanc vitæ ordinem Augustinus Sacramenti appellatione tunc maximè ornavit, cum hunc statum, ceu bonum, purum & sanctum, contra Hieronymi immodestas criminationes, disimulat tamen ipsius nomine, defendere vellet.

X X I I I I.

Quia tamen conjugium non in novo primūm testamento est institutum, sed statim initio, creato humano genere: 2. quia nullum planè externum habet elementum. 3. quia nullam habet promissionem Dei de gratia justificationis. 4. quia deniq; Conjugium nullum est ὄγανον, nec medium, per quod Deus offert & exhibet nobis, nosq; nobisipsis applicamus beneficia redēptionis, nullo modo verè & propriè ( sicuti nec Augustini mens fuit ) Sacramentum dici potest.

X X V.

Quòd etiam D. Apostolus Paulus Ephes. 5. v. 32. de sacramento ( ut habet vulgata versio ) sive μυστήριον, quod conjugium in se complectatur, scripsit, id veteres pleriq; ita interpretantur. Quòd quemadmodum ex dormientis Adami latere Eva exædificata est: ita ex latere Christi, in cruce obdormientis, profluxisse aquam & sanguinem, duo Sacra menta, quorum ministerio Ecclesia Christi generatur & exædificatur, ut per fidem Christo iuncta, sit caro de carne eius, & os ex ossibus ipsius. Cùm ergo hæc non tam ad Conjugium quam ad Christi & Ecclesiae conjunctionem referenda sint, nihil hac in re Pontificios Pauli authoritas, ad stabiliendum hoc Sacramentum, sublevabit.

F

Cum

## XXVI.

Cum primis autem observatione digna est turpis, quam  
hoc loco cæci isti duces admittunt, ἀντιλογία. Syricius enim  
Papa dixit matrimonium esse in carne vivere, nec in eo statu  
quenquam Deo placere posse: sicut pater ex jure canonico  
dist. 82. Si ergo matrimonium res est adeò impura & prophan-  
na, quomodo sacrosanctum Dei Sacramentum esse potest?  
Rursus: Si est Sacramentum, & Sacraenta omnibus Christia-  
nis communia esse debent, cur ab hoc Sacramento pseudosan-  
ctulos suos clericos excludunt? Cæcus sit & ipse oportet, qui  
hanc contradictionem non agnoscit.

## XXVII.

VNCTIO, quæ nunc extrema dicuntur, fuit olim curatio  
medica. Nam Deus, ut authoritatem aliquam Patribus & Pro-  
phe:is circudaret, inde usq; ab initio eos dono sanandi ornavit,  
sicuti Abraham, Iaac, Iacob, Iesaias & similes viri quoq; Me-  
dicis fuerunt. Et per hos viros, vñâ cum doctrina veræ religio-  
nis propagata doctrina physica de plantis & multis naturæ par-  
tibus.

## XXVIII.

Hunc veterem morem Christus renovavit & adauxit,  
dum Apostolos miraculoſo sanandi dono instruxit, & ægrotis  
mederi iussit. Quod donum diu in Ecclesia mansit, 1. Cor. 12.  
v. 9. Et ad conferendum hoc donum sanationis, Apostoli inter-  
dum impositione manuum Mar. 16. v. 18. interdum unctione  
olei Mar. 6. v. 13. Iacobi 5. v. 14. usi sunt.

## XXIX.

Quia vero miraculum illud, sicut & reliqua, postquam  
doctrina Evangelij latissimata orat, in Ecclesia desist: &  
nos nec mandatum nec promissionem habemus, de perpetuo  
eius usu: ideo pro Sacramento habere non possumus. Cumq;  
istud spectaculum, quod Papistæ cum incantato suo oleo apud  
infirmos

infirmos instituunt, superstitionis & idolomanie plenum sit,  
(siquidem infirmos non inungunt, ut eos sanitati restituant, sed  
ut ja[n]n jam morituris per illam unctionem peccata remittantur)  
iure omni unctione ista rejicitur & damnatur.

X X X.

Probamus autem precatio[n]es, quae sunt pro ægrotis pu-  
blicè & privatim. Cùm enim corporis incolumitas sit Dei do-  
num, quam tribuit ut alijs inserviamus, hæc certè perenda &  
& aliqua diligentia fovenda est. Ac promisit Deus, se etiam cor-  
porales ærumnas perentibus mitigaturum esse, juxta illud: In-  
voca me in die tribulationis, & ego eripiam te. Psal. 50. v. 15.

Quod supereft, sicut filius Dei in agone ardentibus  
votis precatur, ut æternus pater omnes suas o[bi]culas in ve-  
ritate servet: Ita & nos oramus, ut hanc veram verbo Dei  
consentaneam & salvificam Sacramentorum doctrinā in hac  
urbe & tota vicinia incorruptam conservet, & per eorum  
assum sibi perpetuò in ea colligat Ecclesiam, quæ in his terris  
eum agnoscat & invocet, postea vero in omnem  
æternitatem ipsum celebret,

Amen.

F I N I S.

Errata quedam irrepserunt, quæ sic  
corrigentur.

C 1. Thes. 17. lin. 10. pro nt, lege ut

C 2. Thes. 30. lin. 3. dñata,

C. 4. Thes. 4. lin. 5. sacrum. D. 2. Thes. 4. lin. 3. convicū.

E 2. b Thesi 8. lin. 8. tolle: post per.

E 3. b Thesi 13. lin. 10. umbrarum.




99 A 6911


ULB Halle  
003 139 565

3



St 017





29  
39

Propositiones  
**C O M P L E C T E N T E S**  
S V M M A M D O C T R I N A E D E  
Sacramentis Novi Testamenti, hoc tempore  
D E I beneficio in Ecclesia & Academia  
V Vitebergensi sonantis.

D E Q U I B U S  
*Confessionem suam edituri sunt 10. Au-  
gusti, Anno 1593.*

P R A E S I D E  
**P O L Y C A R P O L Y S E R O D.**

*Reverendi & Clariſſimi Viri,*  
Dn. SAMUEL H U B E R U S, Bernas,  
Helvetius.  
M. SALOMON G E S N E R U S, Bo-  
leslaviensis, Silesius.  
M. V I T U S V V O L F R U M, Hilperhtis-  
anus, Francus.  
M. LAURENTI U S - D R A B I T I U S  
Coldicenlis, Misnicus.

*Pro consequendo gradu Doctoratus  
in Theologia.*

V I T E B E R G Ā  
Typis Zachariæ Lehmanni.